



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Egemonio Vel Igomono, Episcopo Augustodunensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

DE SANCTIS MARTYRIBUS
**TIMOTHEO, EUCTO SEU POLYEUCTO,
 RUSTICO, PISSEO VEL CIPISEO,
 SECUNDO, LUCIO, FELICE, JANUARIO, PALLADIO.**

VIII JANUARI.

De sanctis his Martyribus hæc habet Martyrologium S. Hieronymi : vi Id. In Græcia, Eucti, Rustici, Pissei, Timothei, Secundi, Luci, Felicis, Januari. In ms. quoque Rhinowiensi itidem perantiquo : In Græcia, Cipisei, Secundi, Timothei, Lucii, Rustici. *Timothei plures alii meminere : Beda : Timothei in Græcia. Notherus : In Græcia Polyecti, (viz dubito quin ille sit Euctus jam relatus, voce aut hic per prothesin, aut isthic per apharesin corrupta) et Palladii (fortassis hic est Palladius, qui vii Januar. Palladas vocatur in S. Hieronymi Martyrologio.) Et quibusdam interjectis pergit Notherus : In Græcia Rustici, Timothei, et Jucondi. Usuardi editio Lubecensis*

anni 1473, et Parisiensis 1536. Bellini editio Parisiensis anni 1521, et plurima mss. sub nomine Usuardi : In Græcia S. Timothei. Martyrologium Coloniense : In Græcia S. Timothei Confessoris. Carthusiani Coloniensis. in Addit. ad Usuar. et Martyrol. Germanic. In Græcia S. Timothei Confessoris, qui translatus est Constantinopolim ix Maii. At ix Maii ostendunt se de S. Timotheo Pauli discipulo agere, de quo nos xxiv Januarii. At de hoc S. Timotheo et sociis nihil habemus compertum. Timotheus Confessor in Græcia, in eodem Martyrologio Germanico, Maurolyco, Petro de Natalibus lib. 11, cap. 130, § 30, refertur, sed ix Januarii.

DE S. EUGENIANO MARTYRE

AUGUSTODUNI IN GALLIA.

VIII JANUARI.

S. Eugenianum hodie refert Martyrologium Romanum, Usuardus, Bellinus, Maurolycus, Martyrol. Germanic. ms. Florarium, Galesinius, qui Augustoduni in Gallia martyrium subisse in Notationibus testatur, uti et Petrus de Natalibus lib. 11, cap. ultimo, num. 29, sed hic v Id. Januar. ejus memorat Natalem. Antiquum ms. Monasterii S. Martini Treviris : v Id. In Augustoduno Eugenii Episcopi et Martyris. Idem habet ms. S. Mariæ Ultrajecti. Nulum in catalogo Episcoporum Eugenianum vel Euge-

nium reperio, nisi forte inter Martyrium et S. Reticum sederit, nam deesse aliquot Episcoporum nomina suspicatur Claudius, Robertus. Wandelbertus :

Iduum post sexto Eugeniano vota feruntur. Dubitavimus an non fortassis idem esset qui Egemonius, de quo mox agemus. Sed eruditissimus Andreas Saussains ut diversos celebrat; atque Eugenianum quidem hoc elogio : Augustoduni Æduorum S. Eugeniani Martyris in strenua concertatione pro fidei testimonio laureati.

**DE S. EGEMONIO VEL IGOMONO,
 EPISCOPO AUGUSTODUNENSI.**

VIII JANUARI.

Septimus Æduensis, sive Augustodunensis, Episcopus, memoratur a Claudio Roberto Igonomus, sive Igonomus, aut Egemonius, vel Egemonius : quem vii Januarii Sanctorum catalogo adscriptum exhibet Molanus in Additionibus ad Usuardum, Bellini editio Parisiensis anni 1521. Rabanus, Maurolycus, Galesinius, Martyrologium Coloniense, in quo perperam Egenio vocatur, uti in Lubecensi Usuardi editione anni 1473. Eugenianus. At Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuard. ita habent : Egmonii, alias Egenionis Augustodunensis Episcopi et Confessoris, alias Martyris. Ferrarius Egmonem vocat. mss. quidam Egemonem, et Eugemonem. S. Egemonii meminuit et anti-

quissimum ms. Martyrologium S. Hieronymi : Augustoduni depositio Egemoni Episcopi. Meminit ejus et S. Gregorius Turon. De gloria Confessorum cap. 73 et 76. Et Andreas Saussains in Martyrologio Gallicano : Augustoduni Æduorum depositio S. Egemonii Episcopi et Confessoris, qui religione et doctrina florentissimus, S. Cassiano hac in cathedra succedens, omni Episcopali virtute, et Pastoralis officii exemplis, gregi sibi credito præfuit. Demumque spectata in multis sanctimonia clarus, divina ut visione fruere, quam vehementer ardebat, migravit ad cælum. De S. Cassiano ejus decessore agemus 5 Augusti.

DE S. ATTICO EPISCOPO CONSTANTINOPOLITANO.

§ I. Sanctitatis Attici memoria celebris : cultus sacer. Rerum gestarum Scriptores.

AN CH. CDXXV.
VIII JANUARI.
S. Atticus initio adversarius S. Chrysostomo.

Multi S. Joannem Chrysostomum acri studio impugnarunt, qui tamen errorem deinde suum agnoverunt, atque omni sanctitatis laude floruerunt. In his S. Atticus Episcopus Constantinopolitanus fuit, qui zelo immoderato et nequaquam secundum scientiam abreptus, non adversatus tantum est S. Chrysostomo, sed post Arsacium in ejus, etiamtum superstitis, Cathedram successit. Quod crimen penitentia deinde et recte factis egregie expiavit, et scriptis litteris auctor S. Cyrillo Alexandrino fuit, ut Chrysostomi nomen diptychis inscriberet : quod hic postmodum, partim assiduis S. Isidori Pelusiote admo-

nitioibus, partim divina revelatione et Virginis Dei Matris benignitate magis exstimulatus, præstitit. Erant autem Diptycha, de quibus crebrior hic et alibi mentio fiet, Libri Ecclesiastici, gemini quidem, unde et διπύχια dicebantur : alter adhuc viventium, in quo a Presbytero vel Diacono nomina illuminatorum et susceptorum scribebantur; alter mortuorum, qui complectebatur nomina, statum, ordinem, obitumque Hierarcharum. De his videndi Meursius in Glossario, et la Cerda in Adversariis sacris cap. 42, n. 1 et c. 148, n. 6.

2 S. Attici in repurgandis hæresibus vigilantiam, in orthodoxa fide propugnanda sinceritatem, prædicant Patres Ephesini Concilii. S. Cyrillus variis in epistolis ac tractatibus, tum potissimum libro religiosissimis Regi-

Laudatur a SS. PP. et Cælestino Pontifice.